

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3982

**Auteur(s) :** Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Philippe II Auguste, France (roi)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1196, janvier

**Lieu d'émission :** Gaillon Le Vaudreuil

**Action juridique :** notification

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard [Ier], roi d'Angleterre, notifie le traité conclu avec Philippe [II], roi de France, entre Gaillon et Le Vaudreuil.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1057, p. 276-277.

b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 514 (extrait).

Texte établi d'après a

Ricardus, Dei gratia, rex Anglie, dux Normannie, Aquitanie, comes Andegavie, omnibus ad quos littere presentes pervenerint, salutem in Domino. Nosse vos volumus quod hee sunt conventiones pacis inter nos et dominum nostrum Philippum, illustrem regem Francie, facte in vigilia Sancti Nicolai inter Exoldunum et Charrociun, videlicet quod eidem et heredibus suis jure hereditario in perpetuum dimittimus et quitamus Gisorcium et Nielpham et Velcassinum Normannicum, ita quod Stephanus de Longo campo debet habere Baldemont et terram suam, et tenebit eam de rege Francie. De Hugone de Gornai ita erit : hominagium ejus remanet regi Francie ad vitam dicti Hugonis, nisi voluerit redire ad nos, et post mortem ejusdem Hugonis debet totum feodum suum de Normannia ad nos et heredes nostros redire ; terra ejusdem Hugonis, quam habuit in Anglia et in Normannia, debet dari Ricardo de Vernone, pro excambio illo quod rex Francie debet facere eidem Ricardo pro castello Vernonis, scilicet de octingentis libris parisiensium de redditibus, ita quod, si prefata terra Hugonis tantum non valeret per annum, rex Francie ei in terra sua perficeret residuum. Ricardus autem et filius suus regi Francie et heredibus suis Vernonem cum castellaria sua in perpetuum quitaverunt, de mandato et assensu nostro, et quitationem juraverunt. Preterea quitationem illam quam comes Lecestrie domino nostro Philippo, regi Francie, fecit de castello Paciati, tam in feodo quam in dominio, cum castellaria sua et pertinentiis ipsius, ratam habemus et firmam. Preterea quitamus regi Francie et heredibus suis in perpetuum jure hereditario Novum mercatum, Vernonem, Gallionem, Paciacum, Ivriacum, Nonencortem, cum castellariis eorum. Et sciendum quod mete ponentur inter forteliciam Gallionis et forteliciam Vallis Rodolii in media via ; et ex illa meta sicut se portabit usque in Secanam, et ex alia parte usque in Euriam id quod erit ex parte Gallionis erit regis Francie, et id quod erit ex parte Vallis Rodolii erit nostrum. Quitamus etiam eidem regi Philippo et heredibus suis in perpetuum Alverniam, feodum et dominium, et quod habebamus ibi, et quod nos habituros expectabamus. Preterea, si comes Lecestrie aut Ricardus de Vernone aut filius

suus aut aliquis ex hominibus nostris, occasione feodi et domini que nos per hanc pacem eidem regi dimittimus, ipsi aut suis aliquod malum faceret, nos mitteremus in manus ejusdem regis Philippi terras eorum, et salvo eum tenere faceremus usque dum dampna ipsi et suis restituta essent, vel nos de nostro eidem regi et suis restitueremus, et illos de terra nostra fugaremus. Ut autem firma pax sit inter nos et dominum nostrum Philippum, regem Francie, dimittit et quitat nobis et heredibus nostris in perpetuum idem rex Francie Exoldunum et Craciacum, et omnia feoda que pertinent ad Exoldunum et Craciacum, et feodum de la Chastre, et de Sancto Chartier., et de Castelleto, sicut Andreas de Calviniaco tenebat ea de rege Francie, et feodum Castelli Meillant., sicut Odo de Dolis eum de rege Francie tenebat, et Sellacum cum pertinentiis, eo excepto de quo comes Sancti Egidii et sui aut vicecomes Turanie et sui in vigilia Beati Nicolai erant tenentes. Si rex Francie vellet firmare in Villa nova super Cherum, firmare poterit. Nobis autem remanet comitatus Augi cum omnibus pertinentiis suis, sicut comes Augi et sui homines habuerunt, comitatus de Albamaria cum pertinentiis suis, Arches et Driencortis cum pertinentiis suis. Terre vero militum de terra Hugonis de Gornai, qui venerunt ad nos, reddentur illis, ita quod de terris illis facient hominagium et servicium Hugoni de Gornai, salva fidelitate quam ipsi nobis debebant. Dimittit etiam nobis rex Francie Belveeir, et officium de Belveeir, et totam aliam terram nostram et hominum nostrorum quam amisimus postquam capti fuimus in Alemannia, exceptis predictis terris que remanent regi Francie et heredibus suis in perpetuum, sicut dictum est. In uno et eodem puncto erimus nos et comes Sancti Egidii, quod nos tenebimus totam terram quam tenebamus in vigilia Sancti Nicolai, et faciemus et inforciabimus in terra nostra, quam tunc tenebamus, sicut voluerimus, tanquam de nostra, et comes Sancti Egidii similiter de sua, quam tunc tenebat. Et si comes Sancti Egidii nollet esse in hac pace, dominus noster rex Francie non erit ei in auxilium contra nos, et nos omnia mala, que possemus ei facere, faceremus de incendio et de eversione. Et si nos vellemus tenere firmum id quod cepissemus, quando comes Sancti Egidii vellet esse in pace, nos redderemus ei totam terram suam, quam a vigilia Beati Nicolai acquisivissemus, et similliter erit de comite Sancti Egidii. Et si comes Sancti Egidii voluerit esse in hac pace, nos neque malum neque guerram faciemus eidem comiti, quamdiu idem comes voluerit rectum facere per regem Francie. Comes Petragore habebit terram suam sicut habebat quando recessit a nobis, et similiter vicecomes Brocie. Comes Engolismi rehabet terram suam et homines sui. Et ipsi tres facient nobis hominagium et servicium, sicut prius. Vicecomes Turanie tenebit de rege Francie id quod debet, et de nobis id quod debet. De Fortunato de Gordun., sic erit, quod, si poterimus probare per sacramenta viginti vel triginta legitimorum hominum quod duo castella, scilicet Caseaus et Perill., tenuissemus per unum annum et diem et amplius, et nos ea predicto Fortunato tradidissemus, si nos ea habere voluerimus, dominus rex noster Francie inde se non intromittet. De domo Castelli novi Turonis edificanda, faciemus ad consilium archiepiscopi Remensis et Drogonis de Melloto. De Andeliaco sic erit, quod nec dominus noster rex Francie nec nos in eo clamamus feodum sive dominium. Et si contigerit quod archiepiscopus Rothomagensis in terram regis Francie aut suorum sententiam interdicti vel excommunicationis miserit, dominus rex Francie poterit assignare ad Andeliacum et ad ea que archiepiscopus ibi habet et ad ejus pertinentias, usque dum duo diaconi vel presbiteri, quos rex Francie per sacramentum suum bona fide ad hoc elegerit, et duo diaconi vel presbiteri, quos nos per sacramentum nostrum bona fide ad hoc elegerimus, decreverint utrum interdictum vel excommunicatio juste latum fuerit an injuste. Si decreverint quod juste, rex Francie predicto archiepiscopo reddet Andeliacum et ea que interim exinde levaverit, et ad verbum dictatorum faciet emendari. Si vero decreverint quod injuste positum fuerit, ea que rex Francie de Andeliaco et de pertinentiis ejus levaverit, in deperdito erunt archiepiscopi, et archiepiscopus interdictum vel excommunicationem solvet. Similiter erit de nobis. Si aliquis predictorum dictorum moreretur hinc vel inde, per sacramentum alterius nostrum alter loco mortui similiter supponetur. Quando archiepiscopum mori contigerit, redditus de Andeliaco et de pertinentiis erunt in manu capituli beate Marie Rothomagensis, donec alius succedat archiepiscopus ; nec nos aliquod malum faciemus predictis dictatoribus propter arbitrium ipsorum. Andeliacum non poterit inforciari. Nos domino nostro regi Francie faciemus quitari omnia illa que cepit de rebus ecclesiarum terre nostre, que sunt in terra sua, et idem rex Francie similiter nobis ; neque nos neque rex Francie de cetero, propter aliquam guerram que evenire possit, aliquid capiemus vel supercapiemus de rebus ecclesiarum alter de terra alterius. Et in ea pace et libertate erunt ecclesie hinc inde in qua erant ante guerram. A modo non intromitemus nos de hominibus regis Francie, neque de feodis qui ad eum pertinent ; nec ipse de nostris, salvis tamen regi Francie serviciis que ipsi debemus de feodis quos ab ipso tenemus, sicut feudi apportant. Neque nos recipiemus a modo homines ligios regis Francie contra ipsum quamdiu vixerit, nec ipse nostros homines ligios contra nos quamdiu vixerimus. Hiis omnibus peractis, comes Lecestrie et omnes prisonos et ostagii prisonum, prout divisum est, hinc inde liberabuntur. Nos juravimus bona fide quod nos hec tenebimus et rex Francie similiter. Que omnia supradicta ut firma et stabilia

permaneant, sigillo nostro confirmamus. Actum inter Gallionem et Vallem Rodolii anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo quinto.